

EPIST. XXXVII.

Severus Augustino è secessu, provocans illum ad scriben- Conf. No.
dum.

Ep. 34.

Venerabili ac desiderabili & toto sinu charitatis amplectendo Epi-
scopo, Augustino, Severus.

Deo gratias, frater Augustine, cuius donum est, quicquid in nobis bonorum gaudiorum est! Fateor, bene mihi tecum est, multum te lego: mi-
rum dicam; sed verum plane; quam mihi absens solet esse praesentia, tam
praesens facta est absentia tui. Nullæ se nobis interponunt turbulentæ actio-
nes temporalium rerum. Ago, quantum possum; et si non tantum possum,
quantum volo. Quid ego dicam: quantum volo? Nostri optimè, quam ava-
rus sim tui: nec tamen murmuro, quia non tantum ago, quantum volo; quo-
niam rursus non minus ago, quantum possum. Deo ergo gratias, frater dulcis-
sime! Bene mihi tecum est, gaudeo tecum artius conjunctus, & ut ita dicam,
unissime, quantum potest, adhaerens ibi redundantiam uberum tuorum suscep-
piens, vires comparo, si possim idoneus effici ad ea consuenda & exprimen-
da, ut, quicquid secretius clausum custodiunt, remotis pellibus, quas adhuc la-
etentisugendas inserunt, ipsa mihi viscera, si possibile est, dignentur effundere:
Viscera, inquam, mihi ut refundantur, cupio: viscera, tua, viscera pinguis fa-
ginâ cœlesti, & condita omni dulcedine spiritali: viscera tua, viscera pura, vi-
scera simplicia; nisi quod duplice sunt vinculo redimita gemina charitatis:
viscera tua, viscera perfusa lumine veritatis & fulgentia veritatem. Ho-
rum me manationi vel resultationi subjicio, quod nox mea in lumine tuo desi-
ciat, ut in Dei claritate simul ambulare possimus. O verè artificiosa apis
Dei, construens favos divini nectaris plenos, manantes misericordiam & veri-
tatem, per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu, quicquid in
se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur! Bene-
dicitur Dominus per praeconium oris sui, & fidele ministerium, quod sic con-
cinere & respondere facis canens i tibi Domino, ut, quicquid de ejus plenitudi-
ne ad nos usq; redundat, jucundius efficiatur & gratius, per tuum elegantem
famulatum, & succinctam munditiam, & fidele ac castum simplexq; ministe-
rium: quod ita resplendere facis per argutias tuas & vigilantiam tuam, ut
perstringat oculos, & in se rapiat; nisi tu idem innuas Dominum, ut, quic-
quid in te delectabile lucet, referentes nos ad illum, ipsius esse agnoscamus, de
cujus bonitate tam bonus es, & de cuius puritate & simplicitate & pulchritu-
dine purus, simplex & pulcher es; & illi agentes gratias, de bono tuo, Domi-
no, qui dono suo dignatus est nos tibi adjungere, vel quoquo modo subiungere,
pleniùs subjiciamur illi, cuius te ductu ac moderatione ralem gaudemus; ut
& tibi contingat gaudere de nobis: quod non diffido fore, si tuis me orationi-

183.